

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

LITHIASI SINISTRO  
 QVAM DEXTRO RENI  
 MAGIS INFESTA

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHYLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET  
 PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO

ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET  
 REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-  
 LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

*A. d. Octobr. Anni MDCCXXXVIII.*

PVBLICE DEFENDET

IOAN. CHRISTIANVS KIESEWETTER,

MEGAPOLITANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Pathol. spec.

28, 28,

*Mb. J. 2108*







LITHIASI SINISTRO QVAM DEXTRO  
RENI MAGIS INFESTA.

## PROOEMIUM.



Alculos in renibus omnium præcipue humani corporis partium haud insolenter generari, est tam notum, quam quod notissimum: sinistram vero præ dextro rene multo facilius crebriusque iisdem obfideri, res minus forte nota, nec apud omnes medicinam facientes esse pervulgata videtur, cum tamen & attenta observatio hoc abunde fecerit testatum, & viri magni sane nominis præstantique ingenio, multo usu perdocti, id suis in monumentis memoriae prodiderint. Ex iis compluribus, quos in fidem hujus rei testes vocare possem, verbis hoc ostendentes testatissimis, *Λιθιασιν* in lævo quam dextro rene longe frequentiorum esse, in primis hoc loco citare liceat *Dodonæum & Carolum Pisonem, ex centum, agentem, nephritide laborantibus octoginta & amplius renem sinistram dolent, experientia teste a)*: quibus tertius accedit testis omnium locupletissimus, vir ab omni laude felicior, *Illustr. FRIDER. HOFFMANNVS* Præceptor ac Mæcenas æternum pie devenerandus *b)*. Nec abludunt illis Viri de re medica optime promeriti, *Excell. IVNCKERVS c)* & *Celeberr. CARL d)*, quorum ea communis est omnium sententia, lapillos in sinistro renali compluvio, quam dextro, longe sæpius reperiri. Gravissimis denique hisce viris testem, quavis exceptione majorem, magnum illum Berolinensium Professore, *Excell. BVDDEVN*, Patronum omni observantia ætatem mihi colendum, adjungere liceat, ex cujus doctissimo ore sæpius audire memini, nephritidem reni sinistro, quam dextro, haud paulo solenniorum observari, experientia id luculenter arguente. Quæ cum ita sint,

A 2

operæ

- a) *Select. observat. de morb. a prolus. serosa ortis pag. 282. & 283.*  
 b) *Medic. Ration. System, Tom. IV. Part. I. Sect. II. cap. II. §. VII. & ejusd. Tom. Part. II. Sect. II. cap. VI. §. VI.*  
 c) *Conspect. Medic. Theor. Practic. Tabul. XLII. pag. 358.*  
 d) *Specimin. Histor. Medic. Part. II. cap. III. membr. II. Artic. I. pag. 247.*



operæ pretium fore mihi est visum, veram hujus *Φαινόμενα* causam, a nemine medentium, mea quidem sententia, hucusque ita designatam, & ab omnium reclamacione usque eo vindicatam, ut locus dubitationi jam amplius esset nullus, investigare, atque ex tenebris, quibus occultata latent & circumfusa, eruere inque aprico collocare. Quo dilucidius autem magisque perspicue rem expediam, nec, quæ ei clarius intelligendæ lumen accendunt, tacitus præteream, explicandum existimavi prius, quam ad rationes hujus rei reddendas ingrediar, quæ sit genuina renum fabrica? deinde, quo pacto peregrina in ipsorum pelvi paulatim congesta materies ibi in ejusmodi lapideum subinde possit coalescere concrementum? quibus perspectis, novissime erit subnectendum, quid causæ sit, quamobrem in sinistro, quam renum dextro solennius crebriusque nascatur? percommode igitur pertractanda ternis capitibus comprehendi posse credidi, quorum est

## CAPVT I. DE RENVUM STRUCTVRA.

### §. I.

**Q**ui commode ita definiri mihi videntur, quod sint viscera numero bina, obscurius rubicunda, generatim in abdomine extra peritonæi saccum, speciatim in lumbis utrobique ita collocata, ut in quovis latere unum insideat, quæ a phaseoli figura non multum abluunt, cujus excavatus margo truncis vasorum totius corporis maximis, renibus utrisque interjectis, obversus, exterior autem & convexus ab iisdem est aversus.

§. II. Ad maxime vero peculiarem eorum situm quod attinet, principiis musculorum psoas, ac duabus ultimis costis spuris, interveniente quadam cellulosa textura, innituntur, ita tamen ut sinister dextro rene ut plurimum sit altior; quamvis nec desint observationes, ubi neuter renum altero elatior fuit sive excelsior *e)*. Neque inauditum est, unicum duntaxat humano in corpore renem fuisse identidem repertum, alterutro eorum desiderato, qui tunc vel ipsis lumborum vertebri, situ plane inverso incumbit *f)* vel, quod, MORGAGNO præclare observante, solemnius est, in altero tantum abdominis latere inhærescit *g)*: id quod quum a legi-

*e)* HEISTERVS *Compend. Anat.* §. 219. pag. 91.

*f)* LAVRENT. BELLINVS *Exercit. Anatom. de structur. & usu renum*  
GARENGEOT *Splanchnolog. Cap. XII. §. 1.*

*g)* *Advers. Anat.* III. *Animadv.* XXXII.



legibus, ad quas natura corporis partes usitatus formare atque exstruere consuevit, omnino desleat, nihil profecto attinet hujuscemodi naturæ lusionibus atque adeo aberrationibus hoc loco immorari.

§. III. Solemne quoque est anatomes peritis, iisque recentioribus, in varias renes describere partes, velut in superficies anteriorem & posteriorem; extremitates superiorem atque inferiorem; denique in exteriorem atque interiorem margines *b)*. Anterior eorum facies, aperto abdomine atque intestinis, quæ eam a nostro conspectu occultant, ablatis, illico visui est obvia; posterior vero superficies respicit ultimas binas costas & musculos psoas; quibus, interjecta adiposa membrana, laxius est nexa. Superior renum extremitas altera multo latior est magisque extuberans; cum inferior contra eorum extremitas haud paulo gracilior sit atque acutior *i)*. Margo tandem ille renum, quem emulgentia ingrediuntur vasa, qui in medio concavus est, interior cieri solet; qui vero fornicatus est valdeque convexus, exterior margo appellari consuevit.

§. IV. Hæc mihi eo præstruenda esse putavi, quo lucidius inde eluceret, qua potissimum in parte vicina viscera, quibus mutuum est cum renibus commercium, ad hos adnecterentur. Cohæret vero inferior dextri renis extremitas cum illa, quam colon in anteriore ejus facie parit, flexura, beneficio ligamenti cujusdam membranacei: colon quippe dextro reni advolutum, ejusque extremitati inferiori hac via adnexum, incumbit, inde vero sinistrorsum sub ventriculum reflectitur *k)*. Hinc liquido apparet crassum hoc intestinum, sicut cum lævo rene, item cum dextro arctissimis vinculis esse copulatum. Extremitas autem superior lobo hepatis obtegatur majori. Præterea quoque adhærescit reni dextro altera duodeni flexura, quippe quæ juxta illum originem ducit. Quemadmodum vero intestinum modo nominatum dextro reni suis retinaculis arcte alligatum est: ita quoque ad sinistrum hypochondrium si pervenerit, atque isthic deflexum fuerit, itidem, ut de dextro rene dictum, inferiori renis, in hoc latere siti, extremitati membranaceo quodam ligamine plus minus affigitur *l)*. Margo autem convexus atque obtusus extremitatis superioris connectitur, interventu vinculi membranacei, cum splene *m)*. De Cap-

A 3

fulis

*b)* WINSLOVIVS *Anatom. Tom. III. §. 393.* GARENGEOT. *libr. cit. eod. cap. §. 3. 4. 5.*

*i)* *Idem loc. cit. §. 394.*

*k)* WINSLOVIVS *libr. cit. Tom. cit. §. 153.*

*l)* *Idem loc. cit.*

*m)* GARENGEOT *libr. cit. cap. XI. §. 9.*



6  
fulis autem atrabilariis hæc tantum hoc loco subjungere lubet, eas in utriusque renis apice, cui membrana cellulosa junguntur, eodem modo insidere, ac glans quænea suo caliculo inhærescit n).

§. V. Data hæc opera commemorare mittam, quæ de diversa renum magnitudine, figura habituque externo, utpote alio in iis, qui in matrice inclusi commorantur; alio autem in illis, qui in lucem fuerunt editi jamque adoleverunt; & compluribus id genus aliis, quæ ab anatomen doctis de his visceribus cæteroquin referri assolent, dici forte mihi possent: quippe quorum usus omnium in iis, infra hinc deducendis ac perspicue expediendis, valde mihi videtur esse exiguus, si forte nullus: aggressurus ea potius, quam maxima potero brevitate, hoc loco explicare, quæ plus lucis rei dicendæ afferunt, velut vasa renum sanguinea, ut in quibus totius rei, inde eliciendæ ac posterius demonstrandæ, summa potissimum consistit. Illis quippe suo pondere ac momento expensis & perspectis, omni luce clarius elucebit, quæ vera ac germana sit causa, quamobrem calculus renis sinistri, præ dextro, latebris usitatius innascatur.

§. VI. Verum enim vero hæc spectatæ magnitudinis vasa, quæ vel intimos quosque renum recessus sanguine irrigant, pervulgato nomine emulgentia antiquioribus, recentioribus autem renalia, forte congruentius, dicta, o) ab ipsius aortæ descendens venæque cavæ inferioris truncis utrinque profectæ, tramite velut recto eoque transverso, ad concavum utriusque renis marginem contendunt, quem, si attigerint, pluribus ramis ingrediuntur, seque in omnes eorum interiores partes, admirabili certe mechanismo, diffundunt. Quo autem liquidius constet, quemadmodum sua cuique reni, a jam nominatis vasorum truncis, vasa veniant sanguinea, in rem erit nostram ea singulatim exponere. Arteriæ igitur, quæ renes purpureo latice perfundunt, e lateribus caudicis aortæ, angulo fere recto, usitatissime uno ac simplici, insolentius autem geminato, quin tergemino utrobique emergunt ramo p), qui recto itinere ad excavatum renis, suo in latere collocati atque affixi, marginem progressus, ante in tres se spargit propagines, quam renis penetralia intrat, quæ deinceps foveam illam, in medio hoc margine conspicuam, ac præter alia, multa pinguedine ut plurimum obfitam, subeunt. Qua vero lege per renum abdita disponantur, postea, ubi de ipsorum structura mentio fiet, dicetur.

§. VII.

n) RVYSCHIVS *Tbes. Anat.* IX. No. XXXIV. *Tbes. Anat.* X. No. LXXXIV, *Tbes. Anat.* l. aff. l. No. V.

o) WINSLOVIVS *Tom. ejusd. libr. cit.* §. 396.

p) *Observ. Anat. Chirurg. Observ.* LXXXIX. pag. 73.



§. VII. Enim vero illud omnium præcipue in animo teneri fixum, permul-  
 tum refert, arteriam illam, quæ ab aorta ad sinistrum pertingit renem, mul-  
 to esse brevior altera, ad dextrum excurrente, quippe quæ multo est  
 porrectior longiorque. Cujus rei non profecto ulla subest alia ratio,  
 quam quod aorta, supra prominentes lumborum vertebrae deorsum ten-  
 dens, a lævo rene multo propius absit, quam a dextro, vena cava, quæ  
 huic aortæ comès hæret dextrorsumque sita, id efficiente. Hinc nullo  
 quoque negotio perspici poterit, cruorem a corde hujus arteriæ alveo  
 advectum, longe citius expeditiore hac magisque compendiaria via, per  
 emulgentem lævam ad sinistri renis interiora esse perventurum, quam  
 longiore illa ad dextri penetralia; quippe cujus arteria multo est prolixi-  
 or. Nec hoc tacitus heic præterire possum, sinistri renis arteriam, quæ  
 post sociam ipsi venam ingreditur, satis liberam nec ullo incumbente one-  
 re gravatam esse, arteria e contrario dextra, post venam cavam, ad sui la-  
 teris renem decurrente.

§. VIII. Arteriis itaque ad utrosque renes pertingentibus, usque eo collu-  
 stratis, quoad mihi fuit integrum, expediet quoque venas illas sanguineas, quæ  
 iisdem inseruntur, breviter hoc loco exponere. Prius vero quam hisce  
 venis contemplandis me accingo, lectorem putavi fuisse admonendum,  
 venam cavam per diaphragma ad abdominis cavum descendentem, atque il-  
 lum in margine jecinoris posteriori conspicuum sulcum, *Spigelii* lobo &  
 ovatæ lobi majoris eminentiæ interjectum, pervadentem, si ad secun-  
 dam circiter lumborum pervenerit vertebra, ad hæc retorqueri verte-  
 bras, ubi se demum arteriæ aortæ, a sinistra deorsum pergenti, adjungit  
 sociam. Ex quo igitur abunde liquet, amplissimam hanc ex venis cavam,  
 circa hanc abdominis regionem, nequaquam lumborum vertebrae incum-  
 bere, verum intervallo quodam, quantumvis exiguo, ab iis esse disjun-  
 ctam; Aorta ex adverso iisdem arctius adhærescente q). At vero quum  
 minime in animo habeam, iter illud flexuosum, quod vena hæc a sinistra  
 dextrorsum facit, illum paulo ante designatum in hepate sulcum aditura,  
 jam a *VESALIO* atque *EVSTACHIO* adumbratum, dilucidius vero a *MORGAGNO*  
 r) & *WINSLOVIO* s) expressum, persequi, de industria hæc omittam, ad illa,  
 quæ dicendis majori sint usui, progressurus.

§. IX. Venæ igitur, pariter emulgentium nomine cieri antiquis anatomi-  
 cis solitæ, quæ conspectioris profecto sunt capacitatis, ex venæ cavæ lateri-  
 bus

q) *WINSLOVIVS Tom. cod. cit. Libr. S. 149. § 328.*  
 r) *Epist. Anatom. I. p. 15.*  
 s) *Tom. III. cit. Libr. S. S. cit.*



8  
bus utrobique itidem unico ramo ad angulum prope rectum, enatae, directo itinere & transverso ad interiorē renū oram proficiscuntur, ubi in diversos similiter ramulos divisae, in eandem se abscondunt cavernam, in hoc renis margine ipsis obviam, in qua arteriosae se recondiderunt propages. Quod vero omnium praecipue dignum, ut animo eustodiatur, est, quod illa renalis vena, quae, aortam praetergressa & decussans, ad laevum renem pertingit, longitudine alteri venae, dextrum renem petenti, multo sit superior, cum dextra emulgens haud paulo brevior existat *r*). Hujus rei causa est, quod vena cava, unde utraque progerminant emulgentes, dextro, quam sinistro reni, est vicinior. Quid ergo inde apertius, quid magis esse potest perspicuum, quam quod sanguini, a sinistro rene refluxo, longe serius ad compluvium venae cavae sit revertendum, quam qui dextra emulgente, utpote via breviorē, eodem reducitur.

§. X. Verum enim vero praeter illam, qua emulgens sinistra dextrae multum antecellit, longitudinem, quaedam adhuc alia veniunt curatius excutienda, quae velut sua sibi vena haec vindicat, & quorum dextra emulgens exsors est. Enim vero quum inde tantum lucis rei infra declarandae accendatur, ex usu mihi erit ea curatius investigare & hoc loco perscrutari. Primum itaque in hac sinistra emulgente praeter dextra visui obvium, dignumque, ut calculo notetur candidissimo, est, quod vena spermatica sinistra, quae conspectior profecto est atque insignior, quam vulgo videtur, secundum communem fereque constantem naturae legem, dictae venae inseratur, *u*) cui sanguinem suum, a pluribus abdominis partibus reducem, refundit. At vero solet moris esse complurium, nec sane indotorum virorum, qui alias in anatome exercitatissimi, indidemque magnam gloriam sunt consecuti ac famam, ut in vasis corporis humani describendis spermaticam hanc venam, quae cum sinistra emulgente conjungitur, parvi quasi pendendo leviter transeant, atque adeo tantummodo perstringant, ea perversa & a vero alienissima opinione imbutorum, illam a nullis aliis, in abdomine occultatis partibus, nisi a laevo testiculo cruorem referre; ipsa tamen observatione contrarium ostendente.

XI. Spermatica igitur haec vena, ab emulgente sinistra, unico ramo exserta, serpentis fere in modum, in lumbari regione ad testiculum proreptat: simul atque haec ab emulgente exprorecta & usque eo fuit progressa, ubi inferior renis extremitas terminatur, illico spectabilem protrudit ramum, qui sub renis hujus ovatam cuspidem finistrorsum reflexus, ibi

*r*) Loc. jam cit.

*u*) WINSLOVIVS *libr. cit.* §. 153. 475.



ibi aliam sobolem venosam dimittit, quæ ad membranam adiposam excurrit, ubi in plures surculos, per hoc renis involucri compositori ordine digestos, definit. Ipse vero conspectior hujus spermaticæ venæ ramus, exsertis jam nominatis venis adiposis, juxta exteriorem renis marginem assurgit, a quo mox recedens in illam peritonæi partem, quæ musculum transversalem in superiore sua renique sinistro vicina parte investit, pluribus ramusculis se diffundit x). Truncus dein, ut dictum est, tortuoso itinere deorsum pergens, denuo complures novos de se utrinque spargit ramos, haud sane exiles, qui partim per peritonæum, partim per illam mesocoli partem, peritonæo heic continuam, larga ubertate, disseminantur y). Memini quondam Berolini foeminam, hydrope defunctam, vidisse, cujus in cadavere, sectione recluso, rami illi, a spermatica sinistra utrobique prognati, & per mesenterium, quin & peritonæum distributi, usque adeo tumidi comparebant, ut incauto nec anatomes satis gnaro facile imposuissent, inque eam adduxissent opinionem, quasi novos sanguineos rivus, hisce in partibus deprehendisset. Ipse vero spermaticæ venæ trunculus, ramis illis, quos modo tradidi depictos, utrinque a se dimissis atque in consignatas partes distributis, ad illos in abdominis musculis conspicuos hiatus atque annulos adspirat, quo si pervenerit, eosdemque transeundo superaverit, in permultos abit surculos, mirum in modum intortos, sibi mutuo connexos & maximopere implicatos, qui retis cujusdam venatorii speciem induere videntur, a quo deinde vascula ad ipsius testis sinistri compagem discedunt frequentissima.

§. XII. Jam vero omnium oculis fore testatius mihi persuadeo, hanc a lævo testiculo ad emulgentem porrectam venam, haudquaquam adeo parvi floccique esse pendendam, verum potius attentiori animo respiciendam, quum tanta cruoris vis ac moles, a tot in abdomine conclusis partibus, velut a testiculo, mesenterio, peritonæo, membrana adiposa, quin ipsis musculis, ad emulgentis alveum eadem recedat. Id quod cum paucis forte medentibus huc usque pro eo, ac meretur, perspectum fuerit & cognitum: nemini quoque mirum debet videri, ea corporis mala, quæ mortalibus subinde eveniunt, atque huic venæ accepta potissimum sunt referenda, etiamnum occultata & circumfusa tenebris latere, vel certe non satis explanata in plurium medicinam facientium monumentis legi. Quæ hæctenus de læva hac duntaxat spermatica ad satietatem retuli, de altera quoque spermatica, in dextro abdominis latere locata, adæque

B

esse

x) WINSLOVIVS *Libr. 5<sup>o</sup> Tom. cit. §. 154.*  
 y) *Idem eod. loc. §. 155. 476. 477.*



esse intelligenda, si ab hujus insitione discefferis, quippe quæ omnino non cum dextra emulgente vena, sed cum ipsa cava inferiore naturaliter coit, breviter tantum hoc loco duxi commonendum. Operæ quidem foret pretium quædam adhuc de utraque spermatica, præter jam dicta, exponere, scitu itidem dignissima forteque necessaria: at vero quum minime animum induxerim minutissima quæque de his vasis in præsentia consecrari, iis quoque ulterius immorari supersedebam, ad reliqua excutienda ingressurus.

§. XIII. Alterum itaque, quod in sinistra hac emulgente vena venit considerandum, quodque ei fere proprium, cujusque altera e regione sita renalis ut plurimum indiget, est illud, quod singularis quidam ramus, valde profecto conspicuus, quem vena azygos circa octavam circiter thoracis vertebram sinistrorsum protrudit ac deflectit, variis prius a circumjectis partibus acceptis propaginibus venosis, in hanc sinistram emulgentem se aperiat: quamvis nec desint observata, ubi in ipsam lævam spermaticam se insinuaverit z), quin in utrasque emulgentem scilicet ac spermaticam simul diversis ramulis patuerit. Accepimus quoque ab Excell. CASSEBOHMIO, se hos venæ azygæ surculos, in emulgentem sinistram atque ipsam inferiorem cavam dehiscentes, in theatro anatomico sæpius omnium oculis, qui lectionibus suis interfuissent, præbuisse spectandos. Cum illo concinit etiam WINSLOVIVS, testatissimis verbis ostendens, venam sine pari, modo in cavam inferiorem, modo in venam emulgentem patescere a). Atque hoc loco illud non queo præterire, quod vena hæc azygos valvulis seu membranis pendulis careat omnino, quemadmodum id doctissimus CASSEBOHMIVS, vir re anatomica nulli secundus, nunquam non ita deprehendit: nam quoties ei hydrargyrum indideris, toties in illa nulla ipsi obstante valvula, ultro citroque, & quocunque tibi libuerit, sine ullo negotio & renixu moveri eum posse videbis, argumento vix ullo alio testatori, valvulas in azyga vena plane desiderari. At vero an azygos vena etiam aliquando venosum dextræ emulgenti inferat surculum, an potius constanti naturæ lege huic nihil cum illa commercii sit, mihi nondum liquet, deficiente illa experientia, qua hæc quæstio dijudicanda est & comprobanda: illud certe experientia tot tantorumque virorum habemus exploratum, germen quoddam, vena azyga prognatum, sinistra emulgenti quam sæpissime inolescere b).

§. XIV.

z) MORGAGNVS *Dissert. epist. a LANCISIO ad ipsum data, quæ Adversar. ipsius anatom. inserta est. Advers. V. Tab. 1. Lit. P. P. & 22.*

a) *Libr. & Tom. cit. §. 41.*

b) LANCISIUS *Dissert. cit. pag. 82.*



§. XIV. Tertium denique, quod sinistrae emulgenti praë dextra est privum ac peculiare, ideoque apprime dignum, ut mentem in eo defigamus, illa vasa, quibus cruor ad renes succenturiatos affluit atque illabatur, indidemque revolvitur in venas ampliores, potissime absolvunt. Perspicuum enim est constatque inter omnes, qui rei anatomicæ non sunt nescii, utramque atrabilariam capsulam sanguine irrigari ab arteriis haud sane exiguis, verum satis conspicuis, quæ vel ab ipso aortæ trunco, vel, quod crebrius reperitur, ab ipsis emulgentibus discedunt c) hæc tamen plerumque lege, ut dextra atrabilaria arteria ut plurimum ex ipsa emulgente ejusdem lateris progerminet, sinistra e contrario atrabilaria usitatus ex aortæ trunco, rarius ex læva renali arteria, sepullulascente d). Hoc vero longe aliter in venis eas concomitantibus deprehenditur. Vena enim, quæ sanguinem a sinistro rene succenturiato revehit, quam sæpissime, ne perpetuo dicam, in venam emulgentem sinistram suo osculo se aperit; dextra atrabilaria semper fere in ipsius venæ cavæ alveum dehiscente e). Liquido itaque ex dictis perspicui poterit venam, quæ purpureum laticem a rene succenturiato sinistro refert, se in emulgentem venam ejusdem lateris immediate exonerare, dextra renali contra nihil cruoris a capsula atrabilaria, sibi vicina, accipiente. Præter WINSLOVIVM quoque Excell. CASSEBOHMIVS hæc atrabila vasa ita, ut jam est traditum, quam creberrime invenit distributa.

§. XV. Illustratis itaque canalibus sanguineis, quibus purpureus latex ex aorta in lævi renis interiora evolvitur, atque ab iis in cavam venam reducitur, in eo jam est, ut quoque dispiciamus, quænam renum sit structura. In quovis rene, secundum longitudinem in duas partes divisio sicque dimidiato, gemina visui obvia est fabrica, situ & colore a se diversa. Altera enim, quæ ejus peripheriam occupat, exterior seu corticalis: altera vero, quæ intus hæret, interior salutari consuevit substantia. Hic renum cortex, quo interior fabrica obducitur, MALPIGHIO, & ante illum jam EVSTACHIO, meris glandulis constare visus est: BELLINO f) autem, RVYSCHIO g) aliisque h) e solis vasculis excitatus esse dicitur. Verum enim

B 2

- c) RVYSCHIVS *Thes. Anat. VII. Ass. I. No. VIII.* HEISTERVS *Comp. cit.*  
 d) WINSLOVIVS *Lib. & Tom. cit. §. 218.* GARENGEOT *Libr. & Cap. cit. §. 18. vid. Tab. XV. Lit. RR. Tab. XII. fig. I.*  
 e) GARENGEOT *Tab. X. fig. 2. No. 2.*  
 f) *Exercit. cit pag. 19.*  
 g) *Thes. Anat. II. Asser. II. No. XLI. Thes. Anat. IV. Arcul. II. Tab. 1. Fig. 1.*  
 h) HEISTERVS *Libr. cit.* WINSLOVIVS *Libr. & Tom. cit. §. 410.*



enim vero quamvis homo mei loci atque ordinis minime ea sit auctoritate, ut hanc, inter summos reique anatomicæ peritissimos viros agitatam controversiam dirimere valeat; non tamen verear in his RVYSCHIO accedere, ut qui præclaris suis vasorum injectionibus usque adeo evidenter, ut nihil supra, demonstratum dedit, renis ambitum meris vasis sanguiferis esse conflatum, quæ admirabili profecto ordine per eum distribuuntur. Cum illo ipse quoque VIEVSSENIUS facit, *cum totus*, inquit, *exterior renum ambitus apud omnes anatomicos glandulosus habeatur, illum ego quoque glandulosum habeo, licet is nihil aliud revera sit, quam textum vasorum sanguiferorum, ut infra explicabitur, quæ, utpote varie atque varie simul implicata, variis atque variis implexibus suis hæc repræsentant corpora, quæ glandularum nomine vulgo donari solent i).*

§. XVI. Altera vero renum textura, interius conspicua, ex innumeris tubulis, iisque perviis, qui summæ exiguitatis sunt, concinnata est, quorum is ordo & collocatio conspicitur, ut ex vasculoso renum cortice, pullulascens, inque certos fasciculos elegantissimo ordine collecti, ac dense stipati, pelvim versus excurrant, ubi in prominentes velut monticulos, papillas mammaram eleganter referentes, ac numero ut plurimum suis fasciculis respondentes, abeunt, qui a nonnullis anatomicorum papillæ renales *k)*, ab aliis vero carunculæ papillares *l)* appellari solent. Consulto autem perhibui, totidem papillas plerumque, quod fasciculorum e canaliculis urinariis compositorum in re deprehendantur, offendi, quum non adeo insolenter observatum sit, binas quin ternas papillas in unicam coaluisse *m)*. Sunt vero dicti e compluribus filamentis in unicum congregati fasciculi nihil aliud, nisi congeries innumerabilium intus cavorum tubulorum, secundum longitudinem summa arte aggestorum, inter se connexorum, atque in fasciculos colligatorum, qui e latiore basi, vasculoso corticis renalis texto continua, pyramidis fere in modum, in apicem obtusum ac subrotundum desinunt *n)*. Universi jam commemorati interioris renum substantiæ canaliculi, qui tubulorum urinariorum nomine cieri solent, tam arctissimo nexu vasculis, quibus renis cujusque ambitus abundat, sunt alligati, ut liquidis in his commorantibus, via pateat in illos expeditissima, RVYSCHIO & VIEVSSENIO hoc præclare demonstrantibus: quo-

*i)* VIEVSSENIUS *novo vasorum C. H. System.* p. 149. 151. 153. & seqq.

*k)* RVYSCHIVS *Thef. Animal. Aff.* 1. n. XI.

*l)* VIEVSSENIUS *Libr. cit.* p. 168. & 170.

*m)* RVYSCHIVS *Thef. cit.* Aff. no. VIII. Not. II.

*n)* BELLINVS *Lib. c.* Fig. 10. RVYSCHIVS *Thef. Anat.* III. Tab. IV. Fig. III.



quoties enim RVYSCHIVS emulgentem liquata cera referit arteriam, toties liquamen injectum ex arteriæ ramulis, non in venam solum comitantem, in ejusque furculos vel minimos quosque se diffudit, sed ipsos quoque urinarios usque eo inundavit tubulos, ut ipsa quoque pelvis exundante cera fuerit obruta o), documento omni exceptione majori, ductus hosce, lotio recipiendo atque in pelvim renis effundendo dicatos, non ullo interveniente quodam medio, cum sanguineis, per externum renis ambitum abundantissime diffeminatis propaginibus, quam arctissime esse connexos. Idem quoque VIEVSSENIO in renibus vervecinis, ab ipso artificiose pervestigatis, semper fuit obvium p).

§. XVII. Sunt, qui præter binas illas, a nobis jam in medium prolatas, renum substantias, tertiam insuper renibus asserere non dubitant, quam solent usurpare papillarem q). At vero quum in re ipsa nihil sit argumenti, (nisi forte quis respexerit ad illam, qua fasciculi tubulorum urinariorum utuntur, figuram ubi in pelvis ramos hiant,) cur papillas renum pro peculiari quadam eaque tertia habent substantia, quum nihil aliud, præterquam continuati tubuli urinarii sint, in pelvis ramis terminati: non reperio, quamobrem eorum sententiæ subscribam, RVYSCHIO præsertim duplicem duntaxat cum VIEVSSENIO r) substantiam in renibus agnoscente s). Papillarum numerus non est adeo constans & perpetuus, quin subinde variet, modo enim plures, modo pauciores, cum primis quando binæ aut tres papillæ in unam coeunt, ut plurimum tamen decem vel undecim in pelvi visui se offerunt. Unaquæque papilla innumeris, sane per exiguis, pertusa conspicitur foraminulis, quæ ostiola totidem ductuum sunt urinariorum, in unam papillam desinentium inque pelvis caveam dehiscientium t): id quod vel inde facile perspicuum, si unam earum digitis vel leviter tantum compresseris, illico minutas guttulas, ex singulis quibusque in eadem obviis ac patentibus ostioliis desudantes inque pelvim effusas, oculis usurpaveris, testimonio satis evidenti, dictos lotii tubulos in renis pelvim patefcere.

§. XVIII. Jam vero quum sit ostensum, nominatos tubulos nihil aliud

B 3

o) RVYSCHIVS *Thes. Anat. II. Ass. VI. no. 1. Thes. An. II. Ass. II. No. XLI. & Thes. An. IX. Ass. II. No. LIII.*

p) *Libr. cit. pag. 153. 156. 159 & seqq.*

q) GARENGEOT *Libr. cit. §. 8.*

r) *Libr. cit. p. 149.*

s) *Thes. Anat. IV. Ass. V. Arc. II. Thes. Anat. I. Ass. 1. no. XI.*

t) *Idem Thes. Anat. VI. Ass. I. No. XVI. & Thes. An. I. Ass. I. n. XI.*



liud esse, præter tenerrimas arteriæ emulgentis soboles, ab ultimis ipsius furculis egerminatos; non a nostro instituto fore alienum credo, planius ac dilucidius hoc loco expedire, quemadmodum conspectiores emulgentium rami, si in renum abdita penetraverint, per intimas quasque eorum latebras distribuuntur. Enim vero si quid est humano in corpore, quod in maxima admiratione esse debet: certe est elegantissima illa & admirabilis vasorum per interiora renum distributio. Quippe arteriosæ propagines ubi renis cavum, in margine ejus interiori eoque medio situm, subierint, mox in plures se spargunt ramos, quorum quilibet medius duos inter tabulorum urinariorum fasciculos seu conos horum basin latam versus progreditur, ubi se in binos diuidit furculos, quorum uterque, in diversum abeunt, atque arcus in modum retorquentur, qui dein cum aliis sibi obviis, atque eodem modo dispersitis & lunatis arteriæ emulgentis propaginibus, utrinque conjunguntur hocque pacto concinnos arcus fingunt & constituunt, inter exteriorem renis atque interiorem texturam interjecti, has a se invicem distinguunt. A convexa arcuum horum arteriosorum parte discedunt ramuli sanguinei copia abundantissima, qui serpentis in modum ad renis ambitum proreptant, ubi tandem tortuoso progressu in depictos illos tubulos desinunt urinarios: ab excavata vero eorundem facie excurrunt itidem furculi arteriosi, qui inter ipsos tubulos urinarios feruntur frequentissimi. Quemadmodum vero arteriæ renalis germina, ita quoque venarum, quas habent comites, furculi in plures arcus abeunt, qui quum arterias quoquo versus comitentur, nihil sane attinet seorsum illas hoc loco persequi: quæ enim de ordine ac reptatu arteriarum compositissimo per renum intimos quoque recessus jam relata; de venis comitibus similiter esse intelligenda cuique satis persuasum esse debet. Operam itaque ludere mihi videor, heic repetiturus, quæ dictis nullo negotio perspicui possunt.

§. XIX. Quæ cum ita sint, nemini jam obscurum esse potest, renes meris vasis ac tubulis, urinæ in pelvim devehendæ accommodatis, confectos esse & contextos, quæ universa communi quodam involucro obvolvuntur, quod membrana vocatur renum propria. Hæc, quæ admodum lævigata est satisque valida, usquequaque renem circumvestiens, arctissime cum vasculoso ejus contextu, subtus hærente, connectitur; ea duabus esse conflata lamellis, quæ interjecto quodam celluloso texto inter se connectuntur, WINSLOVIO dicitur *u)*. Binas inter lamellas hujus integumentum renum proprii vasa lymphatica proserpunt *x)*: nec VIEVSSENIUS  
infi-

*u)* *Libr. & Tom. cit. §. 401.*

*x)* GARENGEOT *Libr. cit. cap. XIII. §. II.*



inficias it, venas lymphaticas indefinito numero ea esse intextas y), quamvis RVYSCHIVS paucas renibus attribuat neque ubi resideant, perspicue expediat z). Præter illam membranam, renibus propriam, altera eaque cellulosa, quam salutant adiposam, contegitur, quæ a celluloso peritonæi texto propagata, renem utrumque involvendo utrobique lumbis affigit: vera autem peritonæi lamella anteriori duntaxat renis utriusque faciei obducta cernitur.

§. XX. Ne vero, quæ ad rem infra exponendam pertineant, prætermittamus, convenit quoque illud commune cavum, in quod papillæ renales congregiuntur, pelvis nomine satis cognitum, quoad ejus fieri poterit, breviter excutere. Enim vero tantum abest, ut ipsa pelvis in renis penetralibus recondita hæreat, sicut plurimum fert opinio, ut potius extra renum substantiam sit posita, omniumque oculis, rene adhuc intacto & undique occluso, facile obvia, quemadmodum hoc omnium pulcherrime RVYSCHIVS spectandum dedit a): id quod longe secus est in rene vervecis, ubi omnino pelvis in ipsa ejus substantia delitescit, nequaquam vero humano in rene b). Pelvis hæc, quæ ex ampliori spatio sensim in angustius coarctata, tandem in ipsum ureterem fatiscit, tres conspicuæ profecto magnitudinis & capacitatis ramos, in renum penetralibus latitantes, excipit c), qui in totidem rursus discedunt fistulas seu tubulos, quot renum papillas dinumeravi, quorum quilibet ad suam sibi destinatam excurrit papillam, quam undique circumplectitur, perinde fere ac labela lactentis pueruli papillam lactantis nutricis sugendo circumcludunt. Ex quo itaque apparet quamcunque renalem papillam suo tubulo renali insitam esse atque impactam, cui lotium, a sanguinis consortio jam segregatum, paulatim instillat, quod deinde beneficio omnium siphunculorum in illos ternos insignis amplitudinis ramos, qui pelvim adeunt, transfusum, tandem in hujus commune compluvium corrivatur, ex quo per ureterem descendens urinariæ vesicæ committitur.

§. XXI. Jam vero reliquum est, illos quoque nervos, qui renum texturæ innectuntur, leviter duntaxat attingamus. Oriuntur illi ab ita appellato semilunari ganglio, quod ramus nervi intercostalis superior juxta aortam, vel inter hanc & capsulam atrabilariam, ostendit, quippe e cu-  
jus

y) *Libr. cit. pag. 146.*

z) *Thef. Anat. I. Repos. I. No. XI. not. 1.*

a) *Thef. Anat. III. Tab. IV. Fig. II. Lit. D. E. & Thef. Anat. IV. Tab. I. Lit. D.*

b) *VIEVSSENIUS Libr. cit. icon. ipsi adject. lit. H.*

c) *WINSLOVIVS Libr. & Tom. cit. §. 588.*



ius facie convexa plures furculi pertinent ad renis sinistri vasa, qui multos alios insuper ramulos, a plexu mesenterico superiori prodeuntes, sibi socios adoptant, quibus cunctis præterea ramuli, a ganglio primi paris nervorum lumbarium exorti, WINSLOVIO adjungi dicuntur. Omnes hæ nervæ propagines constituunt singularem illum, qui renalis cieri solet, plexum, qui admirabili sane artificio arteriæ renis lævi circumvolvitur; quid? quod ipsa sinistra emulgens vena a WINSLOVIO multis ex hoc plexu filamentis circumretita esse & circumplicata perhibetur *d)*. Quæ nunc de plexu renis sinistri nerveo sunt commemorata constantque, de dextro quoque rene similiter esse accipienda, in transcurso tantum attingere mihi liceat. Hæc itaque fuerunt, quæ de renum constructione necessario existimavi præmittenda, priusquam adorirer enucleare, quo pacto lapilli in renum abditis identidem progigni, & geniti procreescere possent.

## CAPVT II.

DE

## CALCVLORVM IN RENIBVS PROGENERATIONE.

## §. XXII.

**N**on esse ullam fere humani corporis partem, vel nobilissimam quamque, quin calculorum proventui sit obnoxia, atque adeo haud insolenter re ipsa iisdem obsessa fuisset & obruta, attenta, eheu! observatio satis superque testatum facit. Plurima sunt atque obvia in virorum eorumque doctissimorum monumentis, quæ literis consignata posteris exstare voluerunt, exempla, quibus dilucide hoc expedire nullius negotii esset. REMB. enim DODONÆVS calculos in pulmonibus deprehendit *e)*: quin lapillum ex muliebribus sua sponte excidentem oculis usurpavit *f)*. ANTON. VERO BENIVENIVS lapidum in ipsa hepatis membrana repertorum meminit *g)*. Idem quoque calculi in capite, quin etiam utero concreti IACOBO HOLLERIO sunt observati *h)*, qui itidem in fellis folliculo quinque & tringinta est calculos nactus *i)*. Nec ablu-

*d)* WINSLOVIVS *Libr. 3 Tom. cit. §. 399. pag. 582.*

*e)* *Observatio Medic. cap. 23.*

*f)* *Ibid. cap. 23.*

*g)* *De abditis nonnull. 3 animad. morbor. ac sanation. caus. Cap. 7.*

*h)* *De morb. Intern. Libr. 1. cap. 48. Schol.*

*i)* *Ibidem.*



abludunt illis locupletes alii testes, qui in variis humani corporis partibus reppererunt calculos. HILDANVS quippe in vicinia cordis multos offendit calculos, suo folliculo inclusos *k)*; invenit quoque calculos in testibus & scroto generatos *l)*; item in faucibus *m)*. De calculis inhaerentibus nervis opticis videatur BLEGNY *n)*. Nec inauditum est calculos ipsi cerebro fuisse innatos *o)*; de aliis, in mesenterio, pancreate *p)*, hepate *q)*, & ceteris humani corporis partibus interdum obviis lapidibus de industria hoc loco dicere mittam, ne nimis longus sim. Adeat, qui plura de calculis, in diversis humani corporis partibus identidem detectis, sciscit, HILDANVM *r)*, CASPAR. REIESIVM *s)* aliosque, ubi multa exempla ipsi delibare integrum erit. Mihimet tantum sufficiat heic paucis probasse, non ullam propemodum ex partibus humani corporis, calculorum proventu esse exemptam, prorsusque immunem, ipsa experientia omni luce clarius illud testante.

§. XXIII. Quanquam vero hæc usque adeo vera sunt & comperta, ut dubitari nefas sit, re ipsa tot tamque claris argumentis signisque lucente: non tamen potest negari, vix ullam esse partem, cui lapides crebrius atque usitatus innasce consueverunt, quam renibus; etiamsi lubens largiar, eos nec insolenter & raro sedem sibi suam in vesica urinaria & bilis folliculo figere. Neque est, quod illud hoc loco pluribus argumentis, usquequaque deridicula velut sedulitate conquisitis, demonstratum tradam, nemine mihi adversum tenente, vel hoc unquam in dubium incertumque revocante. Enim vero quemadmodum nihil potest sine radice nasci: sic nihil quoque fieri potest sine causa; ergo nec hoc, quod scilicet calculus renibus frequentius eveniat, quam ulli alii corporis parti, sua carebit ratione, quam proinde curatius perquirere pretium operæ esse putavi. At vero vix certi quidquam de eo contendere posse sentio, nisi prius lucide fuerit ostensum, quo pacto calculus generatim nascatur? Hoc enim probe stabilito & fixo, illud quoque excutiendum, quam ob causam lapilli

*k)* Centur. I. Obs. XI.

*l)* Cent. VI. Obs. LVII. p. 759.

*m)* Cent. V. Obs. I. p. 501.

*n)* Zodiac. gallic. 1679. M. Majo Observ. 14.

*o)* Act. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 1. Observ. 131.

*p)* Ibid. Dec. 1. Ann. 8. Obs. 50.

*q)* PLATERVS Observ. Libr. 3. pag. 842.

*r)* Centur. VI. pag. 762.

*s)* Camp. Elys. jucund. quest. 2. 36. p. 444.

C

pilli



pilli sedem sibi suam crebrius in renum abditis, quam in aliis partibus collocent?

§. XXIV. Verum enim vero si in ulla quaquam re Autorum sententiæ fuerint diversæ prorsusque distractæ: certe est in generationis modo lapillorum; vix enim inter duos convenit, quemadmodum illi succrescant, Hollerio egregie illud admonente. Sunt enim, quibus est persuasissimum, calculorum materiam, qua conflantur, esse mucilagineam, limosam, tartaream, facultate quadam λιθοποιητική instructam, quæ in renibus calore adjuta, lapidesceret 1): quæ Hollerii etiam est sententia, statuentis, calculos ab humore crassiori, renum calore sive immodico, sive tepido, solidato, gigni 2). Nec abludit illis CRATO, calorem renum quidem declarans calculi genitorem; sed præter illum ipsis illis elementis, quibus in lapidem compingitur, affingens singularem vim, nescio quam, Gorgoneam, quæ materiæ esset ingênita. CHRIST. LANGIVS rejicit lithiaseos causam in menstrui cujusdam acidi falsique redundantiam, quo terrestreitates potenter solvi, inque liquorem lapidescentem mutari perhibet 3). Sennertus vero huic adversum tenet, quippe qui nequaquam calori, sed siccitati potius congelandi facultatem cum PLATERO tribuit. Alii ab his scriptoribus vehementer dissentiunt, ut ARETÆVS & RVFFVS, qui frigus contra calculorum fabricatorem agnoscunt, opinantes viscidos humores & tenaces in renibus a frigore congelari. Ab his dissidet CAROL. PISO, sibi persuadens, calculos in renibus eodem fere modo, ac lateres in lateraria coqui solent, a calore torrefactos, in ejusmodi corpus lapideum indurari 4). BRVNO in ea est sententia renum lapillos ex portionibus excrementitiis salinis nimium fixis & terrestribus, intervenientibus quandoque lentis & viscidis, beneficio caloris concreescere 5). SYLVIVS tandem, quum variis eo consilio captis experimentis comperisset, calculos quoscunque spiritu nitri acido dissolvi, veritus est acido cuidam eam vim arenulas, quæ renibus insident, conglutinandi inque solidam massam mutant, asserere: ne vero causam calculorum ignorasse videretur, sustinuit eam conferre in succum quendam, non acidum, sed austerum, quippe qui ea vi polleret, liquidis lentorem conciliandi, cui si jungerentur partes terreæ salinæque volatiles, initium inde duceret concrementum, a calculis non multum abludens.

§. XXV.

1) BONETVS *Polygalth. Tom. III. Libr. IV. Cap. LIX. p. 1022.*

2) *Libr. & Capit. cit. pag. 217.*

3) *Patb. Anim. pag. 419.*

4) *Libr. cit. pag. 283.*

5) *Lexic. Medic. pag. 204.*



§. XXV. Ex hisce igitur satis superque apparet atque existat, in quas diversas auctores abeant sententias, explanaturi, calculorum in renibus natales, a quibus oriantur. Ac profecto amplissimus mihi pateret differendi campus, dissonas illas, quibus auctorum mentes imbutæ sunt, opiniones de lapillorum rudimentis atque incunabulis, hic persequuturo omnes; præsertim quum tot tantasque, quæ Viros inter laudatissimos sunt, dissensiones conciliare vel disceptare, neque meum sit, neque dissertationis ratio ferat: non tamen facere possum, quin aperte & ingenue fatear, eos mihi non magis a vero videri abesse, qui calculos in renibus ad unum omnes ex elementis sui semper similibus concretos esse sibi persuasum habent, quam qui illos dissidentis ingenii lapides, ingenti sane & largissima penu tam in telluris gremio reconditos, quam in ejus cortice ubivis fere obvios, ex unius ejusdemque indolis rudimentis velutque seminibus ortos & coalitos esse statuere vellent; quum tamen, experientia ipsa loquente, lapis velut arenosus, qui admodum est friabilis, ex longe aliis videatur esse conflatus principiis, ac filix, vel pyrites aut alabastrites, quippe quorum multo arctior est compages ac durior. Idem hoc quoque de calculis humano in corpore, velut compendio hujus universi, prognatis esse puto sentiendum. Est enim in confesso atque experientia compertum, indolem ac naturam eorum calculorum, qui ex urinaria vesica sectione prævia fuere deprompti, minime esse eandem omnium. Quidam enim illorum quandoque sunt satis solidæ compaginis, atque adeo haud insolenter duræ, ut se vix forcipe quadam confringi patiantur, aliis contra longe mollioribus ac fragilioribus deprehensis. Nonnulli ex iis albicante colore vel cinereo esse observantur, aliis e contrario magis infuscatis, aut alio quodam colore splendentibus. Ac profecto nimis longus foret sermo, omnes, quæ vesicæ lapidibus intercedit, differentias heic expromere conaturus. Quæ cum ita sint, non video, quid obstet, quo minus eadem, sicut in vesica calculis, item renum quoque lapillis accidere contendamus, ipsa præsertim attentata observatione hoc in urina nephriticorum sæpius monstrante. Verum enim vero quum hæc elementorum, quæ calculum pariunt, cognitio nequaquam tantos ostendat fructus, quantos quis inde expectare posset, nihil certe est, cur iis investigandis præsentis loco inhæream, potissime quum ea etiamnum adeo controversa sint & plena dissensionis inter medentes, ut, cui ipsorum hac in re assentiendum, aut quid certi de iis affirmandum, nec dum satis liqueat.

§. XXVI. Sunt quidem, quibus persuasum est, lapillorum nomen, vix ac ne vix quidem in calculos, alterutri renum innatos, convenire,  
 C 2 quum



quum potius esset glareæ seu sabulum, cujus singula quæque lapidea corpuscula vix pisi magnitudinem excederent; at vero quamvis non inficer, hoc subinde ita se habere, mihi tamen liceat venia tanti nominis virorum, oblata mihi hac occasione, ostendere, illud haud quaquam semper ita inveniri: exstant enim observata in auctorum monumentis, ubi lapillos satis grandes, nucemque avellanam, quin imo juglandem fere æquantes, in renum pelvi offenderunt. E testium nube, quos in fidem hujus rei vocare possem, RVYSCHIVS mihi unus jam sit instar omnium, qui calculos persæpe haud sane exiguæ molis, cum in renum stomacho *a)*, tum maxime in ureteribus reperit hærentes *b)*. Egomet ipse memini in dissecto quodam cadavere sartoris cujusdam, qui adhuc vivus atrocissimis renis sinistri doloribus identidem torquebatur, videre calculum, ipsam lævi renis pelvim insidentem; qui nucis myristicæ magnitudinem longe excedebat: bini vero pelvis rami, qui conspicuæ sunt amplitudinis, lapillis infinitis, piso æqualibus, abundabant, tertio pelvis ramo pervio atque aperto restitante.

§. XXVII. Enim vero quamvis frustra is operam, opinor, sumat, perspicue expediturus, quibus elementis renum calculus compingi soleat, alcalino, an acido, aliove? illud tamen certum est, fieri non posse, ut in renum pelvi, tanquam conceptaculo & matrice calculorum, hujusmodi compacta ac solida corpora exorirentur, nisi illorum vascula & emissaria a quacunque causa ita de suo tono ac robore forent deturbata, atque adeo ampliata, ut salinis propterea qualibuscunque partibus, aliisque terreis ac mucosis, cum sanguinis flumine eo adductis, mora quædam atque impedimentum in suo per hoc viscus itinere, injiceretur, quæ ergo diutius æquo in renum tubulis commorantes paulatim concresecunt hocque pacto veluti nucleum, cui sensim crusta alia post aliam deinceps obducitur, efficiunt. Quo autem hæc, profecto dignissima, quæ planius atque apertius explanentur, explicatiora prodeant & illustriora, ex usu nobis omnino erit hoc loco, quoad ejus fieri poterit, investigare & perscrutari, qua via renibus ejusmodi imbecillitas seu debilitas subinde inducatur, quippe quæ potissimum in causa est, quamobrem liquidorum per vasa renis itus ac reditus usque adeo languidus fit & lentus, ut haud quoque insolenter, obiter sibi per hæc vascula interclusum, in iisdem consistant, & hac ratione calculis progenerandis viam aperiant. Hisce quædam de ipsorum nucleo intus occultato, qui deinceps lamellis operitur, adstruere placet. Denique

*a)* *Observ. Anat. Cap. IV. Obs. LVI. Fig. 46. 47, & 48, Obs. LVII. p. 53. Fig. 49.*

*b)* *Observ. Chirurg. XCIV. Fig. 75.*



que nobis dispiciendum, cur renibus, præ ceteris corporis partibus, privilegium veluti lapillos, in ipsorum abditis conceptos atque exclusos, fovendi atque alendi sit irrogatum.

§. XXVIII. Calculis itaque in renibus procreandis viam pandunt omnia, quæ horum canaliculos, & sanguineos, & urinarios, usque eo diducunt & de nativo atque insito robore & tono dejiciunt, ut liquidorum per eos cursus & transitus, nimium retardatus atque adeo turbatus, jacturam faciat, nec satis expedite fiat. Confessæ enim veritatis est, parte corporis qualicunque labefactata, tonoque suo ac movendi potentia quocunque pacto exuta, humores non modo abundantius in illam irruere, verum seignius quoque & justo tardius iter per illam conficere suum, quin imo in eadem persæpe omnino resistere atque ita gravissimis subinde nec periculo immunibus inflammationibus suscitandis occasionem suggerere. Nihil ergo dubii esse debet, quin eadem mala vel renibus usu identidem veniant, nimium scilicet a quacunque causa debilitatis & naturali suo robore privatis. Hoc enim factò, nemo non, vel me silente, haud obscure perspiciet, liquida, quæ secundam naturam, per tortuosa & serpentum in modum reptantia renum vasa flexuosum iter faciunt, nunc tanto lentius difficiliusque per ea esse transitura, quando diductiora sunt magisque sua vi motrice orbata. Quod si ergo mihi dicendum, in quo culpa potissimum hæreat, quod calculi in renibus sæpenumero excludantur, nullus certe dubito nimium distentis, & naturali suo robore & tono exutis renum vasis, primas deferre: quamdiu enim renum vascula, sanguinea æque atque urinaria, sufficiente vi systaltica ac robore innato pollent, nec nimis diducta existunt atque suffarcta, tamdiu quoque sanguinem satis prompte & convenienter propellunt, ac lotium secretum in commune illorum compluvium extradunt: ut primum vero undecunque relaxantur & labefiunt, statim quoque liquidorum per ea motus nimium languescit, quin imo haud insolenter in quibusdam ductibus prorsus cessat; unde est, cur renes quandocunque incendium patiantur, aut lapillis obruantur. Si ergo requiris causam in renibus calculorum, eamque fere proximam, en habe eam paucis heic explicatam: quicquid enim vascula per renum compagem abundantissime disseminata, ultra modum diducit, eorumque vim ac potentiam motricem infringit & debilitat, illud calculo in iis procreando viam sternit.

§. XXIX. Jam vero in eo est, ut etiam dispiciamus, undenam renibus ejusmodi labes vitiumque veniat? quemadmodum enim nihil sine causa fieri potest: ita quoque hæc renibus illata debilitas ut sua utatur causa, necesse est. Proximam igitur causam, qua renibus tanta inducitur im-



becillitas, ut sanguinem per vascula immodice diducta & dehiscentia pro-  
 volvere vix valeant, omni jure conferimus in ipsius cruoris aut redundan-  
 tiam, aut nimiam spissitudinem, quippe qua vasa nimium & crebrius justo  
 inundata, usque adeo tandem expanduntur, ut, systaltica ipsorum vi la-  
 befactata, non satis expedite sanguinis illapsi molem protrudere, inque  
 profluum motum concitare valeant: qui ergo tardiori motu circumactus,  
 vel in ipsis sanguineis canaliculis subsistit, & hac via nephritidem parit  
 simplicem; vel saccatum humorem, in suis excerniculis moram facientem,  
 haud satis prompte in renum pelvim extrudit: hinc est cur inflammatio-  
 nes, abscessus, ulcera, calculi, aliaque id genus in renibus proveniant.  
 Quo autem omnes causæ, quæ vasa, quibus renes affluunt, præter natu-  
 turam amplificando enervant, suaque systaltica vi exuunt, ordine expo-  
 nantur compositiori & intellectu faciliori, non fore inconsultum duco eas  
 in quatuor classes redigere, quarum prima ea complectitur omnia, quæ  
 nimiam sanguinis ubertatem in corporis vasa ingerunt, atque illum in cor-  
 pore abundare efficiunt: altera, quæ minus consideratu digna continet il-  
 la, quæ inusitatam liquidis conciliare spissitudinem ac tenacitatem valent;  
 quibus tertia venit accensenda, cuncta comprehendens, quæ sanguinem  
 largiore æquo copia in canales, renem irrigantes, derivatum congerunt,  
 etiam cum aliarum corporis partium vasa eodem non redundant; quæ his  
 tandem adstruenda est quarta, includit universas illas causas, quæ externa  
 qualicunque violentia renibus vim inferunt, eorum tonum ac robur in-  
 fringendo. Quadrigam hanc causarum omni, quæ renibus subinde usu  
 venire solet, labi, ideoque calculorum etiam in iisdem generationi per-  
 spicue expediendis suppeditate, non obscurum illi erit, qui consideratius  
 perpenderit, quemadmodum sanguifera in universum vasa nimis distendi  
 inque atoniam detrudi subide queant.

§. XXX. In censum itaque causarum, quæ sanguini plus satis accu-  
 mulando, inque vasorum alveos generatim inducendo, inserviunt, com-  
 plura veniunt deferenda. Velut ipsa dominans sanguinea temperatura,  
 quippe quæ tenerioribus fibris & laxioribus dotata, nequaquam tantum  
 sanguinis, ob languidiorem ac multo moderatiorem ipsorum vim motri-  
 cem, perenni illo in vasis motu deterit, & detritum per corporis excer-  
 nicula emolitur, quantum indies renascitur: largior cibi imprimis lauti  
 valdeque alibilis, victus, vita deses atque otiosa, multus somnus, in di-  
 em persæpe extractus, quin imo de die a prandio captus, animus tran-  
 quillus & ab omnibus curis gravioribus vacuus, omissæ sanguinis excreti-  
 ones, quibus natura alioquin molesta, & abundante humorum ubertate  
 se



se sua sponte per anum, aut alias partes, exonerare consuevit, vel quæ artis beneficio certis anni temporibus celebrari solitæ, jam vero neglectæ fuerunt. Hæc omnia in causa sunt, quamobrem liquidorum vis ac moles in corpore evadit major, quam pro vasorum capacitate.

§. XXXI. Quanquam complures hæctenus enumeratæ causæ in eorum sunt numero, quæ humoribus insolitam arcessere valent lentitiam & tenacitatem, velut ipsa sanguinis redundantia, neque spontaneis hæmorrhagiis, neque venarum sectionibus imminuta, nec aliis corporis laboribus vel assiduis motibus consumpta & sudore per cutem e corpore exterminata, vita otiosa ac sedentaria &c. dantur tamen, præter illas, aliæ plures, quæ sanguini ejusmodi crassitudinem valent inducere, in quarum censu potissimum collocare convenit victum ciborum, qui multum visceri & glutinosi in se habent reconditum, ut sunt alimenta e farina qualicunque confecta, leguminosa, caseosa, carnes fumo induratæ, aut sale conditæ, pisces quoque conditanei, vel siccati, aliaque id genus, utpote e quibus chylum crassum & glutinosum ventriculus exerit, qui sanguinem dein itidem viscidum parit. Spectat huc quoque dissipatio liquidioris & aquosioris per impensam maxime sudationem, ubi homines sudore velut diffuere videntur. Quemadmodum enim desidiosa atque otium sanguini spissitudinem inducere valent: ita iisdem quoque dotibus ille adornatus a nimio modumque excedente corporis motu, cum effusissimo sudore conjuncto, animadvertitur. At vero quum minime constituerim hoc loco de sanguinis crassitudine dedita opera agere, nisi quatenus dicendis lumen quoddam foeneret, eam pluribus hæc persequi nihil attinet.

§. XXXII. In tertia vero causarum classe omnia se offerunt nobis perlustranda, quæ sanguinem uberiore & affluentiore copia peculiariter ac speciatim in sanguineos renum rivulos deductum congerunt, tametsi reliqua corporis vasa sanguine non redundant, verum ejus tantum alunt, quantum commode capere, coercere atque in motum orbicum adigere queunt. Pollent vero hac virtute e diureticorum numero, maxime ea, quæ renum vasa, inque primis surculos ex horum lateribus porrectos, & per renis corticem dispositos, vellicando seu stimulando graviter lædunt, id quod si sæpius justo contingit, non potest aliter fieri, quam ut cruore, copiosius in ea affluente & illabente, immodice diducta pedetentim tonum ac robur, quo in sanitate fruebantur, amittant suum. Hujus vero efficaciam sunt omnia salina alcalina, fixa æque ac volatilia, nec non varia ex animali regno deprompta insecta, ex terebinthina quoque & succino confecta, aliaque id genus plura. Neque illa diuretica nocivo hoc effectu

putes



putes eximenda, quæ quidem irritando renum vasa urinam largius atque effusius cient, veruntamen universam humorum massam nimis commovendo, hacque ratione sanguinis & vasorum mutuam atque alternantem inter se attritum accelerando, liquida in renibus secernenda, majore volocitate eodem dirigunt, e quorum numero sunt omnes cerevisiæ diureticiæ, vina, aromatica hujusque generis alia, quæ omnia nominatim proferre nimis longum foret. Tandem quoque ea, quæ aliquibus in coetu diureticorum referri solent, eadem culpa minime censeo absolvenda, quæ scilicet renum vasa, horumque per renes propagatas soboles, nimium relaxant, & ita efficiunt liquida abundantius eo irruere, atque ingressa non pro eo, ut decet, sanguineos hosce surculos pervadere, sed potius moram in iis trahere atque adeo subinde omnino consistere. In eundem quoque venit censum detestabilis iste Veneris abusus, quo mortalium profligatissimi permulcentur, cujusque poenas postea maximo sanitatis suæ dispendio haud insolenter luunt, quippe quo sanguinis per renum, præsertim sinistri parenchyma circuitus admodum interturbatur, id quod, quemadmodum fiat, quum paucis expediri nequeat, & mihi brevius dicendum, quam tanta res dici possit, noli succensere mihi, quod illud heic consulto tacitus præteream. Satis enim mihi est hætenus commemorasse, quo ex fonte cruor affluentius aliquando in renum abdita permanare posset, reliquis totius corporis vasis modicam duntaxat justamque ejus copiam vehentibus, nec ullo quodam plethoræ vestigio comparente.

§. XXXIII. Quartam causarum, quæ renum vim motricem obtundere interdum valent atque hebetare, classem ea ingrediuntur omnia, quæ externa quadam violentia eos offendunt, quod lapsu, plagis, ictu, contusione in illa regione, ubi renes positi sunt, vel afflatu ventorum e locis perquam gelidis spirantium, qualis in primis est, qui a septentrionibus ruit, nec non Eurus; aut multis aliis modis accidere potest, quorum ea vis est & potentia omnium, ut renibus labem inferant atque atoniam, in qua postmodum culpa hæret & causa, quamobrem sanguinis per vasa renum progressus postmodo jacturam faciat, dum nimis languida ac lentiori solito via intercipitur. Hinc est, cur, sanguine progredi impedito & restitante, Nephritis & simplex, & calculosa renibus quandoque oboriuntur.

§. XXXIV. Ecce jam tibi illas causas easque tam diversas & dissidentes, quæ renes usque eo debilitatos reddere & labefactatos valent, ut sanguis facile stasin in iis concipiat, quæ tum vel inflammationem, vel abscessus, vel ulcera, vel calculos progignere solet. Enim vero calculos  
in



in renibus progenitos originem ipsorum atoniæ ac debilitati potissimum debere suam, tanquam causæ magis propinquæ, vel ex eo perspicuum est, quod non sane ullum ad valetudinem contra calculos muniendam, medicamentis tonicis ac blande adstringentibus, efficacius existet præsidium, quippe quæ hiantia nimis renum vasa leniter contendendo & adducendo corroborant, hacque ratione præpediunt, quo minus sanguini, abundantius in eadem irruenti, latius justo pateant, atque ipsi convenienter resistant; quin etiam expeditius ac promptius per renis compagem circumagant. Quod multo feliciter succedet, si æque necessaria sanguinis missio non fuerit neglecta, utpote qua humorum ubertas imminuitur, ideoque efficitur, ut sanguis in vasis minus plenis liberius atque expeditus iter suum conficiat.

§. XXXV. Non quidem nescius ium, haud paucis e recentioribus præsertim esse persuasum, non facile calculos in renibus, nisi ex prævia simplici Nephritide, in abscessus vel ulcera, diversas ob rationes, degenerata, quæ in apertis post mortem cadaveribus omnium oculis fuerunt obvia, ortum ducere. Quamvis vero minime hoc inficias ivero, verum lubentissime concessero: tantum tamen abest, ut hoc semper ita se habeat, ut potius lapilli in renibus fuerint reperti, ne ullo quidem vestigio, vel minimo, ulceris cujusdam. Dissectioni alicuius phthoë extincti interfui, in cuius rene sinistro complures lapilli, ejus pelvi inhærentes, visui occurrebant, dextro rene sano atque illæso: qui per longitudinem dissectus & summa diligentia usquequaque exploratus, ne minutissimum quidem ulcusculum, neque in corticali, neque in interiori sua substantia, ostendebat; tubuli vero ejus urinarii adeo videbantur relaxati atque hiulci, ut digitis vel modice pressi, cum urina albicantem quendam laticem, lactis sero proxime accedentem, exstillarent. Sic quoque Berolini renes in cadaveribus vidi, multis ulceribus obsessos & cuniculosos, qui tamen, licet plurimum tabi per ureteres in vesicam effunderent urinariam, nihil lapidei, nec sabulosi quidem, in se reconditum habebant, argumento omnium oculis testatori, calculorum originem nequaquam a prægressa in renibus exulceratione esse semper petendam; sed potius renibus nimium debilitatis & sanguine, qui ejusmodi materia, ad calculos conficiendos habili & apta, refertus est, affluentius inundatis, acceptam potissime referendam.

§. XXXVI. Neque multi sudoris est expedire, quomodo e sanguine in renibus coacervato & tardius per ipsorum vasa circumducto, calculus nascatur. Quum enim ex supra dictis abunde constet, non renum

D

modo



modo corticem vasis sanguiferis exuberare; sed ea quoque ingenti numero ipsis tubulis urinariis interjecta esse, facile erit intellectu, renibus cruore nimium impletis, vel hæc vascula jam memoratis tubulis intertexta, itidem sanguineo latice copiosius solito inundari atque immodice distendi, (unde etiam haud insolenter dirupta sanguinem suum in pelvim effundunt, qui deinde mictu cum urina e corpore emitti solet,) quæ ergo a sanguine nimis distenta, dictos tubulos comprimendo, secreto lotio ad pelvim transituro, in ipsis hisce emissariis moram injiciunt atque impedimento sunt, quo minus transitu satis expedito per ea ad pelvis caveam permeare queat. Hinc aliter non potest fieri, quam ut miculæ salino-terreæ qualescunque, in urinæ liquido fluctuantes & dispersæ, sub hac mora & tardiori per urinarios canaliculos itinere, pedetentim coeant, inque corpuscula crystallina majuscula, quæ magis subsensum cadunt, concrecant, quæ tandem, motu segniori atque adeo lentissimo, ex sæpius jam citatis excerniculis in siphunculos pelvis devoluta, in his subsident & totidem fingunt seu constituunt nucleos perexiguos, quot lapilli postmodum exsurgunt, quibus deinceps aliæ partes tam salinæ, quam terrestres, quin etiam mucosæ aut, si mavis, purulentæ cum latice urinoso similiter huc delatæ, sensim sensimque circumvolutæ accrescunt, id quod cum pedetentim fiat, nemini mirum videbitur, hosce in renibus, explicato nunc modo generatos lapillos ex pluribus lamellis, quarum alia alii obducta, esse videri concinnatos. Quemadmodum vero ejusmodi particulæ salino-terreæ, quibus lotium redundat, sub retardato illo urinæ per tubulos urinarios progressu sensim sensimque coeunt, in crystallos aliquanto conspectiores coguntur, quæ in pelvis ductus delapsæ, ibidemque restitantes, primum nascendi calculi rudimentum ac veluti fulcrum ponunt, cui limosum illud & salinum qualescunque in calculosorum urina observabile crassamentum innitens paulatim accrescit: ita quoque nihil est dubii, quin eadem eodem modo in renibus contingant, vasculis quibusdam a cruore incluso disruptis, ex quibus sanguis in pelvim exit, atque inde per ureteres in vesicam exturbatur. Quod si ergo grumulus, vel minutissimus, concreti sanguinis, quocunque nomine, in pelvis ductibus residuus, isthic perstiterit, eum similiter, atque jam expositum est, materia quadam salina & mucosa, cum lotio jugiter affluente huc delata, oblimatum sensim incrustari, seu calculosa crusta pedetentim operiri, quæ exarescens aliis, iisque pluribus, deinceps obtegitur lamellis lapideis, consentaneum est. Hinc quoque est, cur in quibusdam calculis, eo consilio effractis, ut interior ipsorum facies pernotesceret, quædam rubicunda puncta, in ipso medio seu centro eorum conspicua, aliquibus medentium observata fuerunt,

§.XXXVII.



§. XXXVII. Hunc verum esse & germanum calculorum generandorum modum, nemo facile in dubium vocaverit, expensurus lotium, mictu redditum, tum denique partes solidas, quibus subinde scatet, (salinae an limosae, an aliis ingenii, perinde est,) in matula demittere & ad hujus solum deturbare, quieti si fuerit commissum; id quod cum adeo sit perspicuum, ut oculis quoque dijudicari queat: profecto exputare non possum, quid obstet, quo minus eadem urinae usu identidem venire statuamus, in urinariis tubulis æquo diutius moram trahenti, cum similibus similis atque eorundem ratio semper sit eadem. Neque fieri potest, ut calculi uspiam humano in corpore existere possent, nisi particulae illae qualescunque, cum urinoso latice in pelvis ramos evolutae, ibi reperirent, cui veluti sustentaculo sensim agglutinarentur, sicque accrescendo pedetentim auferentur. Complura, eaque lectu digna, passim exstant apud scriptores observata atque experimenta, quibus hoc confirmari posset. NVCKIUS enim in canis vivae urinariam vesicam, per urethram caute dilatatam, frustum quoddam ligni indidit, quod, elapso quodam tempore, lapidea oportum crusta indidem retraxit. Sic quoque experientia in comperto est, milites, quorum vesica urinaria glande plumbea, e sclopo missa, quondam fuit transfixa ita, ut, vulnere consolidato, in eadem remanserit, calculo fuisse tentatos, in cuius illa centro sic inhæsit occultata, quemadmodum nucleus in nucis cortice. Idem quoque RVYSCHIO observatum est in calculo quodam, quem equus quidam cum fimo egeffit, in cuius medio granum avenae deprehendit *c*). Quæ quum ita sint, manifesto inde apparebit, calculos ad sui generationem semper indigere corpusculi cuiusdam solidi, tanquam baseos, cui salina illa aut mucosa materia, in calculosorum lotio obvia, sensim adhærescit seque agglutinat. Utrum vero nullus in vesica urinaria nasci possit lapis, quin in renibus principium acceperit & rudimentum, quæ sententia est FERNELII, an vero calculum indigenam habeat, ut aliis arridet, neque ad nos pertinet, neque hujus loci est perquirere.

§. XXXVIII. Relinquitur nobis adhuc illud excutiendum, quid causæ sit, quamobrem major renum sit proclivitas ad calculos excludendos, quam aliarum corporis partium? Huic quæstioni ut quoque satisfiat, habeto, non esse facile ullam humano in corpore partem, qua ejusmodi crassum, si a bile discefferis, & cum pluribus diversi generis salibus aliisque materiis refertum liquidum, quodque ad calculos procreandos omnium tam foret appositissimum, quam est urina a sanguinis consortio separatur,

D 2

*c*) *Thesaur. Anat. II. Arcul. VIII.*



retur, nisi renes, quippe qui tam præclarum œconomix animalis præstant officium. At vero etiam hoc tam verum est, quam quod verissimum; nondum tamen inde satis liquet, qua de causa nempe partes, quæ in sanguinis massa hospitantur, salinæ, sulphuræ, idque genus aliæ, interiora renum multo frequentiores subeant & numerosiores, quam aliorum corporis organorum, hujuscemodi materiis, de sanguinis complexibus avelendis ac disjungendis, itidem famulantium. Quo igitur vel hujus rei rationem reddamus veriore magisque sufficientem, non ignorari oportet, primum arterias illas, quæ renibus sanguinem prospiciunt, rectis angulis ab aortæ trunco discedentes, transverso itinere ad renes pertingere, ceteris ex aortæ trunco in abdomine pullulascentibus ramis, angulo magis vel obtuso, vel acuto, indidem prodeuntibus: tum easdem a corde multo propius abesse, reliquis fere omnibus ab aorta descendente in abdominis cavo profectis, nisi forte coeliacam & mesentericam exceperis superiorem, quippe quæ paulo altius ex aorta emergunt, verum multo longiori itineris sui spatio emenso, demum per plures se spargunt ramos, qui ad suas quasque in abdomine conclusas partes excurrunt: quum contra emulgentes iter longe brevius conficiant.

§. XXXIX. Nec deinde illud, quod caput rei est, nobis hoc loco negligendum, quo ex hydraulicis in comperto est, particulas cujusdam liquidi, in canalibus moti, quo sunt solidiores, graviores magisque globosæ, sive ad sphaeræ figuram propius accedentes, eo magis quoque ac longius motum, ab impellente causa sibi incussum, secundum lineam rectam custodire & continuare: crassioribus contra, ramosioribus, magis angulatis ac minus mobilibus a linea recta deflectentibus & ad latera secedentibus *d*). His itaque præstructis ac probe intellectis in vera & germana hujus rei ratione eruenda non est, cur desudemus. Quum enim corpuscula illa, quæ sua congerie rubicundum & vere sic dictum sanguinem conficiunt, non solida modo, verum etiam globata sint, ideoque ad motum, a vi cordis impellente acceptum, diutius, quam alia, servandum & ad iter suum pergendum omnium sint appositissima, salinis contra, sulphureis, terreis aliisque hujus ingenii elementis, ob figuram, qua gaudent, angulosam, ramosam, aliamve, a sphaerica valde remotam, minus mobilibus & ad motum, quem a systolica cordis vi mutuata sunt, persequendum perquam ineptis: facile erit intellectu, purpureos aliosque sanguinis globulos, a corde in amplissimum aortæ alveum extrusos, longius iter & rectius esse expedituros, particulis illis angulatis minusque

*d*) NICOLAI *de Direct. vasor.* §. VII. p. 29.



que agilibus, velut salinis quibuscunque, terreis, mucosis, aliisque, utpote quæ in motum adactæ, propter indolem suam ad movendum minus habilem, non segnius solum tardiusque in aortæ cavo progrediuntur, sed etiam a regia rectaque via declinando, in illos ramos, ab aortæ lateribus utrinque promissos, discedunt. Quid vero causæ sit, quamobrem arterias nempe emulgentes, non vero alias, abundantius ingrediuntur? Minime erit arduum explicare primum perpensuro situm illum, quo arteriæ renales utuntur, omnino transversum ac horizontalem, reliquis ex aorta descendente in abdomine angulo utcunque acuto vel obtuso emergentibus, ideoque oblique incedentibus, aut ad perpendicularum fere ascendentibus; deinde brevissimam illam, qua ad renes perveniunt, viam, reliquis omnibus multo longius itineris spatium emetientibus; tum eas adeo esse vicinas cordi, velut communi sanguinis fonti, unde se in cæteros omnes aortæ ramos, vel minutissimos quosque, diffundit; postremo, quod omnium maxime observatu dignum, cujusque prope esse oblitus, hæc nimirum vasa, quæ renibus sanguinem suffundunt, semper esse laxiora reliquis ex aorta in suo per abdomen decursu egerminantibus; id est, minorem semper resistantiam, seu minus obstaculum liquido, ex aortæ alveo ipsas ingressuro, objicere, quam cæteras ex aorta protrusas propagines: quia scilicet in urinarios tubulos, in sanitate perpetuo patulos, inque pelvis cavum hiantes, desinunt; id quod cum longe aliter reliquis ab aorta exporrectis accidat ramis; facile perspicuum est, cruorem a corde in aortam expulsam longe citius velociusque, ob viæ brevitatem a corde ad renes, atque abundantius, ob majorem emulgentium laxitatem, ipsis nativam, hæc renalia vasa esse intraturum: præsertim si addideris, quæ supra de ipsis corpusculis sanguini intermixtis, & ad motum directum conservandum minus aptis, in medium prolata sunt. His igitur consideratius expensis, omni luce claritas elucebit, quare ejusmodi corpuscula salina, terrea, mucosa & sexcenta alia, quæ in sanguinis mari fluctuant, renibus tam ingenti copia veniunt secernenda. At vero ne pluribus hac in re, profecto dignissima, quæ singulari diligentia pertractaretur, commorer, eam persequi missurus ad alia, quæ hac dissertatione maxime suscepi excutienda, progrediar, ostensurus scilicet, quo nomine Lithiasis renem sinistrum, quam dextrum, crebrius ac frequentius insideat?



CAPVT III.  
PERQVIRENS RATIONEM

CVR

LITHIASIS RENI SINISTRO, QVAM DEXTRO, SIT  
VSITATOR AC FREQVENTIOR?

§. XL.

**R**enum structura, quoad ejus fieri necesse fuerit, abunde perlustrata & cognita, nec non modo illo, quo calculi in eorum penetrabilibus nati concrecant, satis jam perspecto, operæ quoque pretium est ulterius nunc expendere, quod mihi ego extremum proposueram excutiendum, quam nimirum ob causam lapilli in sinistro rene, quam dextro, longe crebrius ac frequentius exorti insideant? Ante vero quam expromere adoriar, quo & pacto, & nomine, hæc fiant, expediet utique leviter tantummodo heic attingere, quid *λιθίασις* vocabulum velit, utpote quod fronti hujus dissertationis est præfixum, ne quis forte nos de negligentia rei cujusdam, plerisque, ne omnibus dicam, dissertationem aliquam condituris usitatae & solemnis, accuset. Nomen vero *λιθίασις*, origine sua græcum, a verbo *λιθιάω*, hoc est, calculo laboro, derivatur, utrumque vero *ἀπὸ τῶν λιθίων*, a lapillis, minime vero *ἀπὸ τῆς λίθου*, id est, a lapide, descendit, & perinde valet, quasi dicas calculatio. Solet autem hæc vox usurpari de calculo tam in renibus, quam in vesica urinaria, generato; illum nos hoc loco duntaxat velimus intellectum, qui, in recessibus renum interioribus delitescens, modo glareae speciem refert, modo ex hujuscemodi minutis lapillis in grandiores calculos conglobatur. Etenim jam supra disertis verbis significavi atque ostendi, sententiam illorum, qui lapillos in renibus susceptos, nisi duntaxat molem æquare sibi persuadent, ipsi experientiæ reclamare, quippe quæ calculos, haud sane exiguos, in apertis quorundam cadaverum renibus omnium oculis quandoque subjecit, documento satis manifesto, eos identidem esse conspectiores, quam pro opinione.

§. XLI. Verum enim vero calculos, vel si magis arriserit, arenulas, renem sinistram dextro longe sæpius atque usitatius occupare, in eoque sedem suam sibi figere, quum jam in limine hujus dissertationis plurimum magni nominis virorum experientia, quorum auctoritati fidem derogare nefas foret, abunde ac perspicue docuerim; certe non est, cur ea usque a capite huc arcessam, quæ dicto jam loco fusius exposita spectari possunt.

Sati-



Satius igitur duco veram hujus phaenomeni rationem perscrutari, quam plura medentium in fidem ejus testimonia hic coacervare, praesertim cum iis non opus sit, ubi rerum adsunt testimonia. At quo nomine calculus laevo reni, quam alteri, crebrius veniat, non est eadem omnium sententia. DODONAEVS rationem hujus eventus in eam renis sinistri retulisse posituram, quae serum impurius nec dum defoecatum in renem refundat, a CAROLO PISONE scribitur e): Huic vero persuasum est, causam, quamobrem sinister ren, praedextro, longe foecundior calculorum sit, & feracior, praeter illam a Dodonaeo allatam, in eum hujus renis quoque situm, qui respondet lieni e directo, esse collocandam. Veri enim admodum simile esse, splenem, utpote qui sanguinis arteriosi officina Pisoni putatur, pro more naturae saburram ichorosam sanguinis atrabilaris in renem sinistram repurgare potius, quam in dextrum. At vero quum non facile aliquis recentiorum, qui etiamnum huic sententiae, jam exoletae atque e medicina rationali exulanti, amplius faveat, inveniatur, frustra operam hoc loco contriturus mihi ego videor, viri hujus, alioquin doctissimi & de re medica meritissimi, sententiam convellere conaturus, quippe cui hoc facile condonandum, eo tempore nimirum viventi, quo nec anatome, nec physica, neque aliae, quarum maxima est & utilitas, & necessitas in saluberrima scientia, doctrinae adeo excultae & omnibus fere numeris erant absolutae, ut nostra memoria conspiciuntur. Quo nomine non est mirandum egregios hos viros rem non acu tetigisse.

§. XLII. An vero statuamus intestinum colon, quod sinistro in latere incurvatum renique sinistro adnexum, in causa esse, quamobrem laevo reni major sit proclivitas ad calculos suscipiendos atque alendos, quam dextro: quia intestinum hoc, vel merda, vel flatibus inclusis inflatum ac nimis distentum, subjecto reni vim magnam inferat, immodice scilicet eum premendo, hocque pacto liberum sanguinis per ejus vasa meatum interturbando aut prorsus impediendo? certe quidem hoc veritati perquam videtur esse consentaneum, ac longe similis iis rationibus, quas paulo ante memoravimus. Nec ego dubitarem causae huic subscribere, nisi mihi obstaret altera illa intestini coli in adverso latere curvatura, quae itidem satis conspicua & cum rene dextro simillima ratione connexa est, ac de sinistro coli flexu constat. Hinc quoque est, cur MORGAGNVS magno opere miratur, plures e recentioribus medicos hypochondriacum illum dolorem, cujus sedem vulgus in liene solet comminisci, ideo in proximo colo esse, docere, quod hoc in sinistro hypochondrio inflexum, facile propte-

e) *Libr. cit. pag. 283.*



propterea recrementa aut flatus eo in loco moretur; nisi enim, inquit, alia addantur, cum inflexio coli in duobus præterea locis (id est in hypochondrio dextro altera, altera vero ubi in rectum definit) contingat, non satis intelligitur, quare is dolor finistram potissimum hypochondrium frequentissime afficiat f). His elegantissimis pariter ac gravissimis verbis planissime poterit perspici, nihil esse, unde cognosci seu ratio reddi possit, cur calculorum proventus in lævo rene largior sit ac frequentior, quam in altero: quum colon in utroque hypochondrio admirabili flexu incurvescat, ubi vel fæces, vel flatus resistere ac subinde commorari possunt, quid? quod cum utroque rene eodem modo arcte cohaerescat. Quamvis autem dicto intestino primas in calculo reni sinistro inducendo non concedamus, non tamen negavero, posse quandoque etiam fieri, ut, exitu flatibus atque itinere per anum plane intercluso, illud hisce exire prohibitis immodice distentum, alterutri renum aggravante suo & premente pondere incommodum ac detrimentum inferat.

§. XLIII. Jam in eo est, ut germanam causam, cur sinister ren calculis dextro sit feracior, quæ huc usque in diuturna obscuritate latuit, inde erutam ostendamus. Nec difficile erit eam reperire, dummodo animum ad ea attenderimus, quæ primo hujus dissertationis capite de renum fabrica, in primis vero eorum vasis, quippe in quibus omnis rei cardo vertitur, relata exstant, non neglectis insuper iis, quæ altero capite disperse sunt a me tradita. Age nunc illa videamus, quæ sinistro reni præter dextrum præcipua sunt ac propria, iis quippe intellectis, non amplius obscurum, opinor, neque absconditum erit, quo nomine calculi lævo reni veniant, quam opposito, frequentiores? Primum itaque, quod permagni sane est momenti ad lapillos in lævo hoc rene excludendos, ideoque memoria retineri dignum, est spatium illud itineris brevissimum, quod arteria emulgens sinistra emetitur, ab aorta ad renem, proxime sibi obvium, proficiscens (§. 7.): altera emulgente arteria, ad dextrum pertingente, multo protentiore, viamque longiorem ad usque sui lateris renem progrediente. Quid ergo inde apertius, quid magis perspicuum esse potest, quam quod sanguis, communi aortæ alveo huc appulsus, sinistri quoque renis intima longe citius priusque ingrediatur, quam dextri, quippe ab aorta remotioris.

§. XLIV. Quemadmodum vero arterias renales aliam alia multo breviorum esse jam accepisti: sic etiam venas, quæ a cava inferiore ad utrumque renem exporriguntur, aliam alii longitudine haud paulo esse superiorum.

f) *Advers. Anat. III. Animadv. VI. pag. 9. & 10.*



periolem habeto. Sinistra enim emulgens vena multo longius excurrit, quam dextra, quæ brevior est & retractior (§. 9.). Clarissime igitur his perspicies, cruorem a rene sinistro refluxum, quum longius iter conficiat, ferius indidem in venam cavam esse regressurum, illo sanguine, qui per dextram renalem venam eodem reducitur.

§. XLV. Alterum, cui frequentior calculorum generatio sinistro in rene omnium præcipue accepta est referenda, exhibet vena spermatica sinistra, utpote quæ, suffragiis omnium anatomicorum, secundum ordinariam atque immutabilem fere naturæ legem, venæ emulgenti sinistrae inseritur, dextra e contrario spermatica in venæ cavæ truncum, constanti propemodum observatione, dehiscente (§. 10.). Quod si vero mihi dicendum, quod caput rei est, non sane vereor aperte atque ingenue confiteri, in calculo sinistro reni inducendo maximam fere partem, quasi suo jure, spermaticam hanc sibi vindicare, licet ea huc usque a pluribus medicorum fuerit neglecta, & pro exiguo duntaxat venoso surculo, qui sanguinem a solo sui lateris teste ad emulgentem referret, habita. Verum enim vero si ulla humano in corpore obvia est vena, quæ consideratu digna: certe hæc est spermatica, quippe quæ conspectior, quam pro opinione, nec cruorem a solo testiculo ejusque involucris, quemadmodum multis etiamnum persuasum, reducit; sed a pluribus quoque aliis partibus, velut a mesenterio, peritonæo, membrana renum adiposa, quin etiam ab ipsis musculis, abdomen cingentibus, aliisque in vicinia renum sitis partibus, in venam emulgentem sinistram evolvit. Quæ quum ita sint, cuiunque fore spectatissimum arbitror, emulgentem venam longe abundantiore sanguinis copia, quam communis fere omnium fert opinio, inundari a vena spermatica, in ipsam dehiscente & cruorem a memoratis partibus reducem effundente. Quæ qui consideratius perpenderit, nullo fere negotio animadvertet, tantam sanguinis vim ac molem, quantam spermatica hæc vena venæ emulgenti fuerit admolita, illi cruori, ex ipsa renis lævi substantia reducto, moram atque impedimentum fore illaturam, quo minus itinere satis expedito in hanc renalem venam reverti, atque inde usque ad venam cavam ulterius progredi queat; id quod multo facilius certiusque tum evenit, quum qualiscunque sanguinis redundantia, aut spissitudo undecunque ipsi inducta, in cæteris omnibus vasis humani corporis præsto est.

§. XLVI. Tertium, quod ad faciliorem & crebriorem lapillorum in rene sinistro originem plurimum confert, est illa notatu apprime digna venæ azygæ in sinistram emulgentem insitio (§. 13.), cujus ratio a

E

pau-



paucis anatomicorum huc usque fuit habita, quamvis res meratur, quæ animis omnium medicinam facientium teneatur fixa. Nequaquam vero inconsulte ac temere supra dixi, hanc venam valvulis intus omnino esse orbam & destitutam, id quod vel iis experimentis, ab incomparabili LANCISIO cum hac vena captis, planissime perspici potest, ubi liquoribus, azygæ venæ injectis, aditus patuerit liberrimus ex ea in venas cavam atque emulgentem sinistram, ex his vero rursus in memoratam venam: documento evidentissimo, eam valvulis esse indotatam. Nihil ergo dubii nobis relinquitur quin azygos vena, quem ab inferioribus venis intercostalibus accepit cruorem, non in cavam solum, sed in emulgentem quoque venas, utpote sibi viciniore & proxime obvias, via veluti compendiaris, naturaliter exonerare, nihil præsertim intus sanguineo latici obstante, cur hoc non fiat; in qua etiam ipse est LANCISIVS sententia g). Ac nisi mihi verendum, ne sermo meus ab eo, quod hoc loco suscepi enucleandum, longius aberraret, quam instituti ratio ferat, ex facili esset ostendere, fieri non posse, ut sanguis emulgente vena recta fere sursum in azygam propellatur, desiderata ea vi movente ac potentia in vena hac renali, qua opus esset ad purpureum laticem in azygam adigendum inque altum tollendum, valvulis huic omnino deficientibus, quæ liquida in sublime lata sustinent, eorumque motum profluum reddunt multo faciliorem. Adde, si mavis, universa liquida ob gravitatem, qua utuntur, semper deorsum niti, id quod eo facilius sanguini in azygam congesto acciderit, quo magis cruor, in parte ejus inferiore hærens, a superiore sanguinis incumbentis & prementis columna venam emulgentem versus retunditur. Cætera, quibus omni luce clarius idem hoc comprobari posset, tacitus prætereo, mihi enim satis est hic tantum paucis ostendisse sanguinem, qui ex inferioribus venis intercostalibus in azygam confluit, ex hac in ipsam emulgentem sinistram effundi, qui ergo itidem rubicundo latici, rene lævo ad cavam recessuro, remoras facit atque impedimento est, quo minus satis prompte in hanc defluere queat.

§. XLVII. Quartum, sinistro reni similiter privum ac peculiare, quod sanguinis ab eo recessui in emulgentem venam itidem iter obsepire, ideoque lapillis, hoc in rene concipiendis ac fovendis favere valet, ipsa atrabilia suppeditant vasa, quæ confinem succenturiatum renem sanguine irrigant. Cognitum enim de illis habemus, atrabiliariam non ex ipsa emulgente, quemadmodum in opposito latere conspicuum, sed ex ipso aortæ trunco emergere; venam autem, quæ huic comes hæret, ut plurimum sanguine

g) *Dissert. epistol. cit. pag. 82. & 83.*



sanguinem ab hac capsula redeuntem sinistra renali venæ rependere (§. 14): quod dextris atrabilariis contra accidit, ubi arteria usitatissime ex emulgente discedit, socia vero atrabilaria vena fere perpetuo venæ cavæ caudici inseritur. (§. eod). Quibus igitur denuo lucidissime apparet, emulgentem, quæ a sinistro rene cruorem reportat, venam longe uberiore ejus copia inundari, quam renalis dextra: quippe a solo duntaxat rene, cui connexa est, sanguinem accipiente, cum tamen, quod calculo notandum candidissimo, altera alteri capacitate seu amplitudine neque superior existat, neque inferior, præterquam quod sinistra emulgens longior est atque exporrectior dextra emulgente. Quæ quum ita sint, unicuique dijudicare erit promptissimum, vel atrabilariam hanc venam, dum sanguinem suum emulgenti venæ refundit, liquidis, a sinistro rene in renalem reducendis, identidem moram esse injecturam, quo minus satis expedite in cavam remeare queat.

§. XLVIII. Quia denique, quo sinistra emulgens a dextra diffidet vena, quod notatione omnino est perdignum, neque propterea silentio dissimulandum, est illud, quod læva hæc renalis vena e trunco cavæ egressa, anteriorem aortæ faciem supercandat, ipsique, medio non interveniente ullo, incumbat; tametsi non inficias ivero, observata quoque in anatomicorum monumentis existare, ubi emulgens hæc vena sub aortam subrepisse fuit deprehensa. Egomet ipse quoque commemini semel atque iterum eam, non ante truncum aortæ visui objectam, sed post hujus caudicem collocatam, videre, ita ut lumborum vertebris & aortæ hæserit interjecta: usitatius ea tamen aortæ trunco esse conspicitur superstrata (§. 9). Neque videtur ulla hujus rei alia subesse ratio, quam quod cava vena longius a sinistro rene, quam dextro, abest; unde illa quoque vena, quæ dextri renis intima adit, multo est brevior, quam quæ ad sinistrum pertingit. Quid vero momenti hoc ad impediendum sanguinis a sinistro rene regressum habeat, spectatissimum erit attentius expensuro, non esse aliud ullum, ex tot tantisque a vena cava progredientibus ramis, germen venosum, præter unicam emulgentem lævam, quæ truncum aortæ transverso itinere ita transit & velut decussat. Atque etiamsi quædam exempla in anatomicorum libris obvia sint, ubi sinistra spermatica aortam supergrediendo in ipsam cavam se insinuavit: ea tamen usque adeo insolentia sunt ac rara, ut, an cum emulgente vena, secundum constantem fere naturæ legem, aortæ caudicem transcendente conferri mereantur, omnino dubitem. Quisquis ergo æquus rerum arbiter, paulo diligentius animum ac sollicitius adhæc attenturus, nullo fere negotio cognoscet, aortam

E 2

suis



suis ictibus, potissime quum justo crebrius validiusque pulsus agat, incumbenti venæ emulgenti maximo oneri esse futuram atque impedimento, quo minus, qui a lævo rene per eam in cavæ alveum recedit, cruor iter suum rite queat explicare. Singulis quippe pulsationibus eam emulgentis, quam sustinet, partem quodammodo reddit solito angustiore, atque ita efficit, quo minus cruor, a rene lævo redux, per conniventem suam venam iter facere satis expeditum ad cavæ compluvium valeat: id quod quum dextræ emulgenti, ut quæ aortam omnino non stringit, haudquaquam perinde, ut sinistra renali, usu veniat, nemini quoque mirum videri debet, sanguinem, a dextro rene abeuntem, ex hujus vena longe expeditiori itinere in cavæ alveum exire.

§. XLIX. Enumerata hætenus, quæ natura sinistra emulgenti, præ dextra, tributa voluit ac vindicata, esse mihi videntur præcipua unde sole meridiano clarius perspici possit, quæ causa subsit potissima, cur ren sinister dextro longe fertilior calculorum existat foecundiorque; quæ cum paucis forte medicinam facientibus pro eo, ac merentur, fuerint satis perspecta, nec profecto mirum, veram causam, quamobrem lapilli sinistro renum, præ dextro, multo veniant frequentiores, in profundo demersam huc usque & abstrusam puteo delituisse. Discant ergo illi, qui sic dicta minutissima anatomica contemptui subinde ac derisui habere solent, quos quamque uberrimos ex iis medicina percipiat fructus, dummodo convenienter ad eam adhibeantur, neque statim, utilitate eorum in re medica nondum satis sensibus nostris patefcente, sed in occulto oblitescente, tanquam inania, supervacanea atque inutilia repudiantur. Ac profecto latissimus sane dicendi campus mihi pateret, in quo excurrere sermo meus possit, pluribus ostensuro, quot, quanta & quam implicatissima morborum symptomata, etiamnum obscuritate vel, si verius dicere liceat, crassis ignorantia tenebris involuta, in pathologicis supersint, quorum veram rationem ac germanam vix ulli alii, nisi anatomen, quam subtiliorem vocant, apprime edocto reddere sit integrum. Argumentum illud, quod hac dissertatione sumimus excutiendum, certissimo nobis hujus veritatis esse potest documento: nemo enim unquam, quod tamen præfiscine dixerim, de iis, quantumvis sensibus facile obviis, nec in numero minutiarum anatomicarum collocandis, quæ de sinistra emulgente vena hætenus commemoravi, vel cogitasse mihi videtur, alioquin nullo negotio perspexisset, quænam genuina esset causa, quamobrem calculorum ortus in lævo rene multo crebrior ac frequentior, quam in altero, e regione sito? At vero ne extra oleas vagemur inque aliam velut disputationem ex obliquo abeamus, ad propositum revertamur.



§. L. Aequa igitur animi lance pensitaturus, primum arteriam emulgentem laevam dextra altius plerumque esse positam; tum iter ejus, quod ab aorta ad renem sinistram proficiscens conficit, multo brevius, quam quod dextra renalis arteria, ad sui lateris renem tendens, emetitur; deinde insignem illam venae emulgentis sinistrae longitudinem, qua dextrae renali venae plurimum antecellit; post ingentem illam sanguinis molem ex omni rene sinistro, ex venis spermatica laeva, ipsa azyga atque atrabilia sinistra, in emulgentis sinistrae alveum, perpetuo devolutam; tum hujus venae profectionem & transgressum super aortam, ad venae caevae caudicem accedentis; postremo ejusdem venae capacitatem seu diametrum, amplitudini alterius venae, ad dextrum renem abeuntis, omnino aequalem: omni luce clarius perspiciet, venam renalem sinistram longe abundantiore sanguinis copia, secundum naturam, inundari, quam altera vena ad dextrum renem pertingens; quippe quae omnium eorum, quibus vena emulgens sinistra exsplendescit, si a sola capacitatem seu diametro, quae utrisque eadem, discesseris, prorsus expers est. Nihil ergo est, quod dubitemus, quin cruoris motus in vena emulgente sinistra (supervenientibus nimirum iis causis, quae sanguinem uberiore copia ad renes determinant) multo facilius vitium sit capturus, quam in dextra emulgente; utpote quae a nulla alia parte, nisi a solo rene dextro sanguinem in caevae truncum refert, sinistra emulgente vena non cruorem modo a rene sinistro, sed a pluribus etiam aliis partibus, velut a capsula renali sinistra, a membrana adiposa, a testiculo laevo, mesenterio, peritonæo, quin ab ipsis musculis vicinis multum sanguinis accipiente inque venam cavam reducente.

§. LI. Quod si igitur quis uberiores sanguinis copiam in suis vasis alit, nihil dubii est, quin ipsi etiam renes itidem abundantiore sanguinis vi ac mole obruantur: quum vero renales venae via tranversa cavam adeant, hacque ratione angulos cum ea rectos efficiant, quisque, vel me silente, perspectum habebit, ingentem illam cruoris ubertatem, quae in cava vena, via veluti regia rectaque, cor versus ascendit, sanguini e renalibus venis in ipsam effluxuro, moram qualemcunque esse interposituram, quo minus satis prompte atque expedite ex iis in caevae alveum egredi queat, qui propterea in emulgentibus diutius justo retardatus reliquo sanguini a tergo affluenti similiter viam intercludit, vel certe moram injicit. Haec vero sanguinis in vena emulgente dextra retardatio vix quicquam periculi portendit; quippe quae a nullis aliis partibus, nisi a solo dextro rene, cruorem revehit: in sinistra e contrario renali vena, ut



quæ diametro seu amplitudine haud sane impar est emulgenti dextræ, ea utique permulto periculosior est, quippe quæ non cruorem solum a lævo rene, verum a compluribus etiam aliis partibus, acceptum reducit. Etenim ille coccineus latex, qui superne e venis azyga atque atrabilaria devolutus; & a spermatica sinistra ab inferioribus & eis permultis partibus allatus, in sinistram emulgentem confluit, impedimento est isti cruori a renis sinistri interioribus ad hanc renalem venam recessuro, quo minus eam intrare possit, qui ergo aditu ad emulgentem venam prohibitus, in vasculoso renis lævo contextu moram nectens, isthic eo abundantius accumulatur, quo velocius & copiosius per breviorum cordique viciniorum arteriam emulgentem sinistram eodem adducitur. At vero quum hæc omnia in dextra emulgente haud quaquam sint timenda, ut quæ suas sanguineas duntaxat undas, a solo rene dextro in eam evolutas, quas nulli alii incurrentes sanguinis rivi seu torrentes in suo motu interturbant, trahens in venam cavam decurrit; expeditissimum est inde explicare, quamobrem calculi dextro reni veniant multo infrequentiores.

§. LII. Neque mihi dubium est, quin futurum sit cuicumque jam exploratissimum, quo nomine simplex nephritis, quæ in solo renum incendio seu inflammatione consistit, multo crebrius sinistro, quam reni dextro usu veniat, dummodo intellexerit, quorum ista ad sui originem egeat, & qui generatim contingat. Nam quæ in causa sunt, quare lapilli in lævo rene facilius atque usitatus, quam dextro proveniant: eadem quoque in noxa sunt, quamobrem nephritis simplex sinistram renem frequentius invadat, quam dextrum. Oleum itaque & impensam perditurus viderer, hoc loco demonstratum iturus, quæ via inflammatio quædam illi, quam huic superveniat frequentior, quum nullo fere negotio ex iis, quæ hæctenus relata sunt, capi atque intelligi possit, nec mihi dissertatio, sed haud sane mediocris liber, foret excudendus, omnia, quæ in hanc rem dici possunt, persequuturo. Sed ut aliquando extremum habeat sermo meus de crebriori calculorum in lævo rene, præ dextro, proventu, finem jam facere æquum mihi videtur.

F I N I S.